

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 81. (Neovidensis 1807. Nro. 80.)

Politicum mortuorum Colloquium.

Elysium-Meum.-Die Veneris 16. October. (Neovid. 2 Oct. 1807.)

Beatus ille homo,
Qui vivit sua domo;
Et sedet post fornacem;
Et habet bonam pacem;
Et laudat Deum trinum;
Et — bibit bonum vinum!

Franciscus Spaur. — James Andrews.

Spaur. Certum est, antiquis temporibus in Germania disciplinam publicam parvis sumptibus venisse, imo & recentioribus temporibus vix de nomine nota fuit.

Andrews. Hac in re Anglia & Gallia Germaniam jam dudum superavit, ac Principatum tenuit.

Spaur. Ego vero non Principatum, sed necessitatem esse dico. In Germania nostra raro tales malefici deprehensi sunt, qui simul homicidæ fuissent; Publicam securitatem raro admodum violatam legimus; non oportebat itaque vim ad tollendum malum, quod non existebat, adhibere.

Andrews. In Anglia, ubi Populus inter omnes Nationes maxima libertate se gaudere putat, severam disciplinam publicam indu-

cere necesse fuit, nimia enim libertas facile limites excedit. Hæc Anglica libertas, hæc gemma regiminis! —

Spaur. Tace cum tua Anglica libertate; quæ vobis nimis caro venit; omnis enim res, omnis bolus, quem ori imponitis, tributo subjacet. Multo præcellit hanc Germanicæ libertas, quæ parum, aut fere nihil constitit; stante hac libertate peregrinationes institui poterant, quin omni momento peregrinantes ad examen vocati fuerint; edebatur & bibebatur, quin omnis bolus & haustus ori immissus; solvi debuerit.

Andreas. Ubi magnum est lucrum; ibi Respublica magnum quoque tributum exigere potest. Tu dicis, libertatem nostram nobis caro venisse; ita est profecto, sed & magnum lucrum infert. Omnia in Mundo sunt reciproca.

Spaur. Quo magis illuminatio, & cognitio rerum augetur, eo magis videtur extendi etiam ars ad omnia mala; hinc sequitur, quod majorem progressum Natio quæpiam in illuminatione fecit; eo strictiorem observantiam disciplinæ Publicæ apud eandem induci oportere. Illuminatione enim homo non tantum ad cognitionem boni, verum etiam ad cognitionem mali ducitur. Lord Chesterfield in sua peregrinatione observavit; furem Anglicum audacem, Gallicum subtilem & callidum; Germanicum ineptum, & Italicum vehementem esse.

Andrews. Valde bene; quamlibet igitur Rempublicam juxta hæc ordinare oportet disciplinam Publicam.

Spaur. Mirari non desino antiquas Candia Politicæ leges, quæ incolis sub pœna corporali vetabant, ut nullo prorsus modo ex peregrinis, qui ad eorum Insulam adveniunt, sciscitari præsumant, unde venerint, aut quid negotii in Candia habeant. Nullus peregrinus ad has & similes quæstiones respondere ausus fuit sub pœna privationis ignis & aquæ. Profecto mirum

Andrews. Illius temporis Candia Incolas garrulos, mendacesque fuisse, Historiæ docent; plura mendacia commiserunt, quam omnes Ephemeridum Scriptores simul sumpti. His igitur legibus a garrulitate, & mendacio arcendos fuisse, puto, ut suis propriis rebus tanto diligentius se se impenderent. Moderato tempore hujusmodi leges malas sequelas post se traherent.

Spaur. Hoc fere modo se res habuit ante 20. Annos in Germania. Nos talibus legibus obstricti non fuimus, sed quilibet agebat quod volebat, ibat, & redibat prout volebat, nemini actiones ejus curæ erant. Nulla tunc Politia fuit, sed & cui bono? Omnia decurrebant suo ordine, & quidem bono, & forsitan meliore, ac modo. Nostri Prædecessores conveniebant, & honeste computabant, cantabantque: Beatus ille homo, qui vivit &c.

Andrews. Et quas tu ex his omnibus sequelas eruere intendis? quorsum tam longus de Politia sermo tendit?

Spaur. Hoc tibi paucis dicturus sum: — da Populo probos mores, & non indigebis Politia. In hoc cardo rei olim in Germania vertebatur.

Andrews. Hæc omnia vera esse possunt. Interim rem memorabilem de Hispania ad Politiam Religiosam pertinentem tibi relaturus sum: erga propositionem Magni Inquisitoris Tribunal S. Inquisitionis cum fine Sæc. 15. sub Ferdinando Rege in Hispania erectum, Sublacioni proximum esse dicitur. Tribunal istud Sacræ Inquisitionis a 50 Annis umbra solum fuit illius horrendi Tribunalis, quo homines cruciabantur, & multa mortaliū millia vita privabantur. Tempora nostra umbram quoque ejus sublata esse voluit.

Spaur. Istud meum dictum confirmat: da Populo bonos mores, & non indigebis vi.

Andrews. Adhuc unam rem tibi narraturus sum: — Ephemerides Neapolitanæ referunt: — Pestiferis ovium variolis, in Italia Mal della Schiavina, in Gallia vero Claveau didis, quæ in Provincia Baritana nimis propagatæ erant, tam arctos limites positos esse, ut per separationem sanarum ovium ab ægris, & per combustionem mortuarum minime ultra serpere possint. Nunc vero detectum est, Vaccinationem æque tam indubitatum præservativum remedium esse contra variolas ovinas, ac contravariolas humanas sit. Frequentes probæ per Prof. Med. D. Chaumontel, post hunc per Strozium Florentiæ, & D. Pictet institutæ, rei huic fidem tribuunt. Mo-

us inoculationis propter diversitatem cutis ,
 alius est , quam in homine , alia etiam forma
 Variolarum : sed effectus idem est.

Spaur. Percurramus nunc Diarium.

Parisiis 27. Septemb. Sufragia Tribunatus
 in ultima Sessione lata , ad Cæsarem missa ,
 Moniteur nota reddit. (ad quæ Sufragia si
 spatium admisit , redibimus) Princeps Su-
 premus Cancellarius Imperii , Mareschallus
 Moncey alique magni nominis & gradus of-
 ficiales Imperatorem ad Fontem Bellaqueum
 secuti sunt , ubi præter Regem & Reginam
 Vestphaliæ , Reginam Hollandiæ , etiam Mag-
 nus Dux Montanus cum Sua Coniuge , &
 Magnus Dux Herbipolitanus commorantur. —

Vienna 23. Septemb. (Ephemerides Aulicæ
 Die 28. Augusti Generalis Baro Michelson
 a bello Turcico celebris , & a captivitate Pu-
 gatscheviensi notus , Bukaresti Anno ætatis
 79. expiravit. Suprema Potestas in exerci-
 tu Russico in Moldavia & Valachia existen-
 ti , Belli-Duci Mayendorf delata est , qui ,
 prout etiam Magnus Vezérius ex utroque
 Principatu copias suas educere jam incepit.
 Sed Mustapha Bairaktar , & Pehlivan Aga
 pertinaciter reluctantur e Stationibus suis
 Gyurgevo & Ismail copias abducere.

Ulma 26. septemb. Protestantibus in Reg-
 no Bavarix primis diebus mensis Septembris
 per Rescriptum Regium notum redditum est :
 Suam Majestatem Regiam decrevisse , omni-
 bus tam in veteribus , quam in novis per re-
 centem Pacificationem acquisitis Proviaciis

Evangelicæ Confessioni addictis, eam constitutionis formam a Regia Majestate datum iri, quæ & modernis adjunctis temporum magis conveniat, & priorem cum moderna uniat.

Die 15. & 16. in Tyroli septem Prælaturæ ut Montis S. Georgii, Grienssiensis, Montis Mariæ, Neustiftensis, Stamsiensis, Velschmichalensis, & Viltensis administratio ni traditæ sunt; redditus earum Fundo Religionis & Studiorum tribuetur, Prælati vero & Monachi ad Statum pensionis ponentur.

Mediolano 18. Septemb. Recentissimis Literis Neapoli scriptis revocatur ea fama, quæ Regem Ferdinandum ex Sicilia navi Anglica avectum, ferebat; verum præparaciones ad abitum fieri, præciosas res Regias navibus impositas, copias Siciliæ unitas esse copiis Anglicis sub Generali Moore, certo constat.

Deputati Regni Vestphaliæ, secundum eorum relationem tam a Suo Rege, quam a Cæsare Gallorum gratiose, ac benigne excepti sunt. Imperator valde favorabiliter loquebatur de Germanorum fundata eruditione, honesto charactere, & obedientia. Rex vero promisit, se aliquot menses per decursum Anni apud Brunsvicenses exacturum. Quæ vero sors 6. Imperii Universitates mansura sit, indecisum est. Observationes de Vestphalica Constitutione, a Deputatis Regi suo porrectæ, sunt sequentes: 1. ut administra-

tio, & Jurisdictio per Patriæ Filios Lingvâ
 Germanica administratur. Ad hoc respon-
 sum est, quod Linguam Germanicam concer-
 nit, ea sine ulla dubitatione acceptata est,
 ea cum declaratione, Suam quoque Majesta-
 tem Regiam eam daturam operam, ut spatio
 3. Annorum eam calleat: Officiorum vero
 distributionem eam futuram, ut exteri quo-
 que assumi possint. 2. Ut dimidius reditus
 Dominiotum regno subtrahatur. Hæc obser-
 vatio placuit Regi, promisitque se eam Su-
 stentaturum. 3. Respectu mancipatus dictum
 fuit, etiam in regno non existere, si autem o-
 peræ Dominiis inhærentes sublatae fuerint,
 cessabunt eæ etiam in Dominiis Principis. 4.
 Desiderabant Regnicolæ, ut Præses corporis
 Legislativi Patriæ Filius esset, responsum ad
 hoc ex integro decisum non est. 5. Demum
 propositiones factæ de amovendis copiis Gal-
 licis in regno existentibus, præsertim in ex-
 hausto Ducatu Magdeburgico. Ad has repo-
 situm est, id fieri non posse, regnum enim in
 statu defensionis manere debet. Cum discessu
 Deputatorum nullæ ad superiores observatio-
 nes ab Imperatore decisiones factæ sunt.

B I O G R A P H I A

Andrews (James Petit) Politicæ officialis West-
 monasterii, & commembrum societatis Anti-
 quitatum Londini. Scripsit Anecdotes ancient
 and modern 1789, cui operi Anno sequenti
 Appendix accessit. Edidit præterea versionem
 Historiæ Romanensis (The Savages of Europe)

Evangelicæ Confessioni addictis, eam constitutionis formam a Regia Majestate datum iri, quæ & modernis adjunctis temporum magis conveniat, & priorem cum moderna uniat.

Die 15. & 16. in Tyroli septem Prælaturæ ut Montis S. Georgii, Grienssiensis, Montis Mariæ, Neustiftensis, Stamsiensis, Velschmichalensis, & Viltensis administratione traditæ sunt; redditus earum Fundo Religionis & Studiorum tribuetur, Prælati vero & Monachi ad Statum pensionis ponentur.

Mediolano 18. Septemb. Recentissimis Literis Neapoli scriptis revocatur ea fama, quæ Regem Ferdinandum ex Sicilia navi Anglica avectum, ferebat; verum præparationes ad abitum fieri, præciosas res Regias navibus impositas, copias Siciliæ unitas esse copiis Anglicis sub Generali Moore, certo constat.

Deputati Regni Vestphaliæ, secundum eorum relationem tam a Suo Rege, quam a Cæsare Gallorum gratiose, ac benigne excepti sunt. Imperator valde favorabiliter loquebatur de Germanorum fundata eruditione, honesto charactere, & obedientia. Rex vero promisit, se aliquot menses per decursum Anni apud Brunsvicenses exacturum. Quæ vero sors 6. Imperii Universitates mansura sit, indecisum est. Observationes de Vestphalica Constitutione, a Deputatis Regi suo porrectæ, sunt sequentes: 1. ut administra-

tio, & Jurisdictio per Patriæ Filios Lingvâ
 Germanica administretur. Ad hoc respon-
 sum est, quod Linguam Germanicam concer-
 nit, ea sine ulla dubitatione acceptata est,
 ea cum declaratione, Suam quoque Majesta-
 tem Regiam eam daturam operam, ut spatio
 3. Annorum eam calleat: Officiorum vero
 distributionem eam futuram; ut exteri quo-
 que assumi possint. 2. Ut dimidius redditus
 Dominiotum regno subtrahatur. Hæc obser-
 vatio placuit Regi, promisit que se eam Su-
 stentaturum. 3. Respectu mancipatus dictum
 fuit, eum in regno non existere, si autem o-
 peræ Dominiis inhærentes sublatae fuerint,
 cessabunt eæ etiam in Dominiis Principis. 4.
 Desiderabant Regnicolæ, ut Præses corporis
 Legislativi Patriæ Filius esset, responsum ad
 hoc ex integro decisum non est. 5. Demum
 propositiones factæ de amovendis copiis Gal-
 licis in regno existentibus, præsertim in ex-
 hausto Ducatu Magdeburgico. Ad has repo-
 situm est, id fieri non posse, regnum enim in
 statu defensionis manere debet. Cum discessu
 Deputatorum nullæ ad superiores observatio-
 nes ab Imperatore decisiones factæ sunt.

B I O G R A P H I A

Andrews (James Petit) Politicæ officialis West-
 monasterii, & cõmmembrum societatis Anti-
 quitatum Londini. Scripsit Anecdotes ancient
 and modern 1789, cui operi Anno sequenti
 Appendix accessit. Edidit præterea versionem
 Historiæ Romanensis (The Savages of Europe)

A History of Great Britain connected with the Chronology of Europe, 1705- 2. Vol. 4. juxta Systema celebris Henaultii, & continuationem Henrys History of Great Britain 1796. 1. Vol. 4. 2 Vols 8. In collectione Societatis Antiquitatum (Arcaeol VII.) illi tribuitur descriptio numerorum Saxoniorum in Area Templi Kinsburgensis reperorum. Mortuus est 6. Aug. 1797.

Spaur, (Francis. Comes) Cæsareus intimus Consiliarius Vezlaræ, 20. Augusti 1725. Onipotenti natus. In Patria sua sub directione Jesuitarum se Literis impendit ita, ut Anno Aetatis 19. a Gubernio ad graviora negotia applicitus fuerit. Anno ætatis 21. cum Fratre suo Seniore per Germaniam peregrinationem instituit, in qua multorum magni nominis Virorum amicitiam & animos sibi devinxit, atque scientiam suam auxit. Brevi post hanc peregrinationem a Ministro Comite Stadion Moguntiam evocatus fuit, & ab Electore Comite ab Osthelm Aulæ suæ Consiliarius denominatus fuit. Hoc officium paucis duntaxat Annis gessit, Franciscus enim Imperator jam Anno 1757 munus Præsidis Catholici, & intimi Consilarii Cameræ Imperialis ei detulit; post 6 Annos mortuo Principe Hohenloe Summus Præses Jud. Cameral. denominatus fuit. Tringinta tribus annis quorum ultimi tantis difficultatibus obnoxii erant, ut totam ferme Europam involerant, Tribunali huic Germaniæ Summa cum laude & gloria præfuit, multis meritis clarus, obiit 1. Aug. 1797. Religio sine superstitione, severus & strictus acquiratit amor, erant maxima ejus ornamenta.

V, Biographia Comitum Spaur, Salisburgi 1800.